



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 178. Simultates Legatum inter & Rochisanam

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. A.C. 1443.                       
 norum Ecclesiasticorum postea ab Hus-  
 sitis usurpatorum conclusa fuere. Ve-  
 rum hæc Pontificis sententia Rochisanæ  
 neutiquam arridebat.

## §. CLXXVIII.

*Simultates Legatum inter &  
Rochisanam.*

Ceterum Rochisana, cum timeret, ne Bohemi, si illum a suscepto Pragensem Archiepiscopatum obtinendi proposito destitisse cognoscerent, spe sua frustrati eum in posterum minoris haberent, ac Clerus ipsi favens inde eum circumveniendi ansam arriperet, ac obtenderet, illum denuo cum Catholicis in gratiam rediisse, ideo disertis verbis Legato declaravit, quod vicissim, si Sedes Apostolica sibi quamvis immerito hanc gratiam impertiret, fidem suam obstringeret, se deinceps in omnibus sibi a Romano Pontifice injungendis prompte obtemperaturum, simulque popularium suorum studia eo inclinaturum, ut toto vitæ suæ spatio universa Bohemia circa Religionis negotia ab omni tumultu libera conservaretur. Ast cum Legatus ab iis, quæ Roma in mandatis acceperat, nihil omnino remitteret, Rochisana omnia modestiæ repagula dirupit. Vicissim Legatus coram Bohemiæ Proceribus

bus Rochisanam atris coloribus depingere haud omisit; vix tamen ulla eorum, quæ dixerat, ratio habebatur; prævalebat enim affectus, quo Rochisanam prosequabantur Bohemi, eumque velut Archiepiscopum suum, etsi literis Apostolicis careret, venerabantur.

Sæcul. XV.  
A. C. 1448.

§. CLXXIX.

*Rochisana perorando lingua & memoria hærens.*

Refert Cardinalis Papiensis, placuisse Bohemiæ Proceribus, ut Rochisana crimina sibi a suis adversariis impacta palam dilueret, datumque ei hanc in rem fuisse sufficiens temporis spatium, ut orationem componere, ac memoriæ tradere posset. In illa unice intentus erat Rochisana, ut longas meritorum suorum, necnon obsequiorum, quæ Patriæ suæ præstitisset, centurias jactabundus enarraret; ipse diem, in qua peroraret, sibi selegit, omnesque Regni Proceres, ipsumque Legatum, ut eum percipere velent, rogavit; id etiam ipsimet Catholici a Legato impensius petebant, veriti, ne Hussitæ ex ejus absentia compendia traherent.

Igitur Rochisana sermonem suum orditur ab his verbis: videlicet: *Æternum Patris Verbum*; Attamen Deo te-  
*Hist. Eccles. Tom. XXVIII.* O meri-